Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sibi aliarum frequenter conditione inveniantur. Servientur ergo privilegia ecclesiarum cunctis inconcussa temporibus, nec videtur posse eis auctoritate apostolica data sunt contra ea liceat ire alicui. Sed obicitur illud Symachi pape: Possessiones quas unusquisque ecclesie sue reliquit arbitrio et cetera, que super in titulo de alienatione rerum ecclesiasticarum leguntur assumpta. S. xvi. Q. i. Possessiones. Unde datur intelligi quod ea que de iure uniuscuiusque ecclesie vel necessitatis sunt peregrinis, vel pietatis intuitu sunt religiosis domibus conferuntur, non pro perpetuo sed temporaliter ab eis quibus conferuntur sunt possidenda. Quamquam illud Symachi ad necessitatis intuitum, non ad pietatis respectum possit referri, videlicet ut ea que captivis vel peregrinis necessitas largiri suasit, non ea que religiosis domibus ob quietem religiose conversationis concessa sunt, prohibeantur possideri in perpetuo. Vel potius de utrisque est intelligendum. Videlicet ut sicut necessitatem patientes cessante necessitate beneficiis renunciare coguntur, que eis miserationis indulsit intuitus, sic religiose viventes, cum a religione cessaverint, privilegiis exuuntur, que religiosa conversatio meruit. Privilegia ergo que religiosis domibus conceduntur, vel in eo casu accipienda sunt in quo ita eis consulitur, quod nulli aliquid derogatur, videlicet ut ex novalibus, quorum decimationes nulli assignate fuerant, privilegiorum auctoritate decimas aliquibus persolvere non cogantur; vel si propter instantem temporis necessitatem eis consuli non potuerit nisi aliis derogetur, ita privilegiorum auctoritas videtur esse servanda, ut eorum subveniatur inopie, non ut in suarum divitiarum augmento et possessionum non modica extensione porrecta baptismales seu parrochiane ecclesie penitus destruantur.

Explicit liber xxvi. Incipit liber xxvii.
Xxvi. causa de sortilegis et divinis.

QVIDAM. SACERDOS. SORTILEGUS. ESSE et divinus convincitur apud episcopum. Correptus ab episcopo noluit cessare. Excommunicatur. Tandem agens in extremis reconciliatur a quodam sacerdote episcopo inconsulto. Iudicitur sibi penitentia sub quantitate temporis canonibus prefixa. Primum queritur qui sint sortilegi. ii. an sit peccatum esse sortilegum. iii. a quibus genus divinationis sumpsit exordium. iiii. quot sint genera divinationis. v. an sortilegi vel divini sint excommunicandi si cessare noluerint. vi. an excommunicatus